

2004-10-25 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Suavissima Inter Nomina’

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA
IOANNI PETRO S.R.E. CARDINALI SCHOTTE,
PRAESIDI OFFICII LABORIS
APOSTOLICAE SEDIS***

*Venerabili Fratri Nostro
IOANNI PETRO S.R.E. Cardinali SCHOTTE, C.I.C.M.
Praesidi Officii Laboris Apostolicae Sedis*

Suavissima inter nomina gloriosae Deiparae indita, illud christiana pietas carissimum sane habet, quo Ipsa *Immaculata Conceptio* appellatur. Nomen profecto summum indicat consilium, quo Deus et dignum habitaculum sibi praeparavit et redemptionis opus sublimiore modo peractum manifestavit; *Immaculata* insuper beatae Mariae Virginis *Conceptio* Ecclesiae exstat pignus ac perfectionis anticipatio in futuro saeculo consummandae. His verbis enim ipsa beata Virgo Maria Bernardillae Soubirous, illius nomen enixe percontanti, in specu Massabiellensi responsum dedit: «Immaculata Conceptio ego sum».

Cuius sub titulo templa innumera erecta ubique terrarum sunt nec non Deiparam complures nationes patronam sibi delegerunt. Ad hanc rationem Foederatae Civitates Americae Septemtrionalis nimirum eminent, quippe quae mense Maio anno MDCCCXLVI non modo Virginem Mariam quavis labe ab origine intactam suam Patronam elegerint, verum etiam sese Immaculatae Conceptioni primae consecraverint! Huius autem consecrationis quasi consummationem necnon perenne monumentum decretum est nationale sacrarium Washingtonii exstruendum, quod augustum ac magnificum hodie attollitur.

Optatus igitur profecto iucundusque ad Nos pervenit nuntius Ecclesiae Washingtonensis peculiarem Marianum annum celebrantis, quinquagesimo nempe ac centesimo anniversario a definito intaminato Deiparae conceptu die incurrente. Quandoquidem ergo Venerabilis Frater Noster Theodorus Edgardus S.R.E. Cardinalis McCarrick, illius sedis sacrorum Antistes, certiores Nos fecit de sollemni celebratione die VIII proximi Decembris mensis agenda, qua Marianus annus in praedicto nationali sacrario concludetur, eminentem aliquem praesulem illuc mittere libentes statuimus qui personam Nostram gereret. Tu quidem, Venerabilis Frater Noster, ob fidele ministerium pro Apostolica Sede cotidie exercitum peraptus Nobis videris ad hoc munus frugifere obeundum. Hisce iisdem Litteris te ideo renuntiamus *MISSUM EXTRAORDINARIUM* et constituimus, qui Nostra auctoritate ac nomine memoratae praesideas celebritati.

Pergratum tuum erit officium omnes adstantes hortari ut Virgini Immaculatae suam consecrationem renovent et agant; ex quo actu in cotidiana vita deducto Christum Salvatorem nostrum redamare efficacius valebunt necnon pacis et gaudii veri effectores satoresque evadent.

Interea uberum auspicem fructuum paternaeque caritatis Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem tum tibi, Venerabilis Frater Noster, tum sollerti Archiepiscopo Metropolitanae Washingtonensi, nec non cunctis Praesulibus omnibusque, qui Marialibus sollemnibus intererunt, amantissime in Domino impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Octobris, anno Domini MMIV, Pontificatus Nostri septimo ac vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II